



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

De Exequiis parvulorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

dotibus & Clericis, quam secularibus & laicis, servari debet, in Officio sepulturae, in die depositionis, si ve in die tertio, septimo, trigesimo, & anniversario: item in visitatione sepulchri, pro consuetudine locorum, praedictis diebus faciendâ.

### De Exequiis Parvulorum.

**P**arvuli, qui post Baptismum ante usum rationis eripiuntur, oratione Ecclesiae non indigent; quia nihil damnationis est in his, qui sunt in Christo Iesu, & non secundum carnem ambulaverunt: & sicut injuriam faceret Martyri, qui pro Martyre oraret; ita innocentiae Baptismali injurius esset, si quis eis salutis requiem precaretur, qui innocentes, immaculati, puri, ac Deo dilecti, effecti sunt cohaeredes Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur.

Quia tamen horum corpusculis, tanquam organis & vasis, sanctus infusus fuit Spiritus; etiam illorum funera officiosâ sunt pietate curanda, in protestationem fidei, resurrectionis, & ad laudem divinae providentiae, sub qua & ista regenerantium corpora requiescere creduntur.

### Ordo sepeliendi Parvulos.

**C**um igitur infans, vel puer baptizatus, defunctus fuerit ante usum rationis, imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis & odoriferis, in signum integritatis carnis, & virginitalis; & Parochus, superpelliceo & stolâ albâ indutus, & alii de Clero (si adsint,) precedente Cruce, quae sine vel cum hasta deferretur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico, vel alio, aspersorium deferente. Sacerdos aspergit corpus; deinde dicit, vel cantat: